

modo est indifferens per essentiam ad esse vel non esse, ideoque nequit esse *suum esse* per essentiam. Per essentiam ut actuatum; subd. Ens contingens creatum est suum esse per essentiam ut actuatum ab intrinseco; nego: ut actuatum ab extrinseco; concedo.

Scilicet, *esse* entis contingentis est creatum, seu ab efficientia extrinseca actuatum; ideo ei convenit quod sit per essentiam ab extrinseco quoque actuatum, seu effectam. *Esse* autem entis necessarii est increatum; proinde est per essentiam increatum, seu ab intrinseco actuatum.

Ad probationem autem, dico: distinctionem realem, quae fingitur et supponitur inter existentiam et essentiam, esse plane inutilem ad solvendam difficultatem, ut discursus ibidem factus ostendit. Vel enim realitas intrinseca essentiae est facta, vel non: si non est facta, erit Deus, et pantheismus inducitur: si autem est intrinsece facta, est intrinsece extra suam causam, id est intrinsece actuata, intrinsece existens; ideoque illa existentia realiter distincta plane inutilis evadit, quemadmodum argumento clarissimo D. Thomae argumentatur, adversus eos qui unitatem entis uti rem distinctam fingeant. «Si enim per aliquid aliud esset una quaelibet res, cum illud iterum sit unum, si esset iterum unum per aliquid aliud, esset abire in infinitum. Unde standum est in primo» (1). Ita standum est in actualitate (seu existentia) intrinseca rei creatae.

26. Objic. 2.º Si ens necessarium est ipsum esse per essentiam, erit quodlibet esse, id est, omnia. Ergo pantheismus statuitur.

Resp. Dist. ant. Erit quodlibet esse eminenter et participatum; conc. Quodlibet esse formaliter et participatum; nego.

Inst. Eatenus ens necessarium esset ipsum esse, quatenus foret «esse subsistens non receptum» (2). Atqui entium contingentium esse non est receptum et est subsistens: ergo...

Resp. Dist. seu explico dictum D. Thomae: foret «esse subsistens, non receptum;» id est, non contractum, non participatum; conc. «Non receptum» in subjecto realiter distincto; nego, vel subd. Si id dicatur comparative, ut dicit D. Thomas (supra, Nota II); Conc. Si proprie et stricte; nego suppositum a mente D. Thomae et a veritate aequae alienum.

Scilicet, propria et stricta receptio locum habere nequit, nisi inter recipiens et receptum sit realis mutuaque distinctio; sic materia recipit formam, anima gratiam, mens scientiam. Ut autem comparative recipi aliquid dicatur, sufficit distinctio realis non mutua: hoc modo ens creatum recipit esse a Deo; antea quippe non erat, nunc vero est et quidem a Deo recipiens suum esse; hoc autem suo

(1) Sum. theol. p. 1, q. 11, a. 1, ad 1. — (2) Ibid. q. 7, a. 1.

reali esse, distinguitur realiter a non ente; non ens autem, cum sit nihil, nequit habere praedicatum reale. Quod si quis velit mordicus, contra apertam rationem, contendere, receptionem qualemcumque exigere realem distinctionem inter receptum et recipiens, velit nobis explicare, quomodo ipsam suam essentiam res creatae a Deo receperunt; vel neget essentiam esse receptam, et pantheismum arguemus.

27. Objic. 3.º Deus est suum esse et ipsum esse eminenter, non autem formaliter. Sed esse eminenter non excludit esse formaliter; nam divina essentia, continet Personalitates eminenter, simul et formaliter; ergo etiamsi Deus sit actus per essentiam quia est eminenter ipsum esse, poterit nihilominus in potentia existere ad aliquid esse formale.

Resp. Dist. maj. Deus non est formaliter ipsum esse, si hoc esse non sit purum, sed imperfectum; conc. Aliter; nego.

Dein dist. min. Esse eminenter non excludit esse formaliter, si istud sit imperfectum; nego. Si non involvat imperfectionem (ut Personalitates divinae), subd. Cum esse eminenter potest stare esse formaliter; identice, conc. Per unionem, seu interveniente aliqua potentialitate; nego.

CAPUT II.

De Dei attributis et essentia.

Quot sint inter theologos sententiae ad essentiam Dei definiendam postea notabimus: interim a notioribus aggredientes ostendemus praecipuas divinae essentiae perfectiones, quo praemisso, obscuriorem illam multo facilius enodabimus quaestionem.

ARTICULUS I.

De perfectionibus Dei positive significatis

THESIS VIII.

Esse divinum est substantiale, spirituale et intellectivum; seu Deus est substantia, spiritus purus, et intelligentia.

28. Tota propositio fide tenenda, et per partes probatur.

Pars I.^a prob. 1.^o Ex Later. IV, c. *Firmiter*: «Credimus quod »verus est Deus... una essentia, substantia, seu natura simplex omnino.»

Et Vatic. Conc. (1) confirmavit.

2.^o De Christo ait Apostolus (2): *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus* (Dei).

3.^o Tertullianus ait (3): «Unius substantiae et unius status »et unius potestatis, unus Deus.» Et Patres quoque Toletani Concilii XI: «Confitemur unum Deum unius substantiae, unius »naturae.»

4.^o Omne accidens intrinsece pendet ab alio ente, quo sustentatur et perficitur in suo *esse*. Si ergo Deus non esset substantia, sed accidens, neque foret *suum esse* per essentiam, neque *ipsum esse*, neque *primum esse*, neque *actus purus*.

29. Pars II.^a prob. 1.^o Ex Vatic. Concilio (ibid.) «Qui cum »sit una substantia spiritualis...»

2.^o S. Joannes docet (4): *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*. Id ipsum docet Apostolus.

3.^o Patres testantur: uti Athanasius (5); «Nec Deus hominis »similis est, uti nec homines Dei. Illi ex materia sunt creati; at »Deus exers est materiae et corporis.»

Didymus (6): «Deus cum spiritus appellatur, non ventus, »sed incorporea, vivificaque substantia significatur.»

Eusebius (7): «Divina mens est »incorporea et simplex, nullas »que partes habet... Divina natura ab omni materia semota.»

4.^o Spiritualis est substantia, quae nullatenus materialis est, aut a materia dependens. Sed Deus est primum esse, per essentiam et actus purus. Ergo nequit vel materialis esse, vel a materia pendere.

30. Pars III.^a prob. 1.^o Ex Vat. Syn. «Ita Catholica Ecclesia »credit et confitetur, unum esse Deum... intellectu ac voluntate »omnique perfectione infinitum.»

2.^o *Omnis sapientia a Domino* (8). Et Paulus: *Ut innotescat... multiformis sapientia Dei* (9).

3.^o Patrum una est sententia. Toletani PP. Syn. XV. «Hoc »est in Deo esse quod velle: quod sapere. Quod tamen de homine »dici non potest... In Deo autem non est ita, quia simplex ita »tura est.»

4.^o Intelligere est magnae perfectionis actus, seu *esse*. Sed Deus

(1) C. *Dei Filius*, cap. I. — (2) Hebr. I, 3. — (3) L. *contr. Prax.* c. 2. — (4) Joan. IV, 24; II Cor. III, 6, 8. — (5) De *Decret. Nicae. Syn.* n. 10. — (6) Caten. PP. Graec. in Jo. c. IV. — (7) *Praepar. Evang.* l. 3, c. 10. — (8) Eccli. I, 1. — (9) Eph. III, 10.

est *ipsum esse*, et *primum esse* per essentiam: ergo est Deus intelligens.

Confirm. Mundus a Deo conditus est, ut ex Cap. I, constat: sed opus mundanum est mirae sapientiae effectus: ergo sapiens est Deus.

31. Objic. 1.^o Ratio substantiae est complexa ac respectiva; scil. *stare sub*. Sed quod est complexum potentialitate afficitur; quod est respectivum, praesupponit ab intrinseco aliquid extra se: ergo nulla substantia potest esse actus purus, et *ipsum esse* per essentiam; ideoque Deo convenire nequit.

Resp. Dist. *maj.* Ratio substantiae finitae, seu imperfectae, est complexa et relativa; conc. Ratio substantiae est complexa... quoad suam perfectionem intrinsecam, qua differt ab accidentis essentia; nego.

Ratio illa substantiae *stare sub*, exhibet definitionem, ut ita dicam; geneticam conceptus substantiae é substantiis creatis de prompti. Ratio autem essentialis et transcendens substantiae, *esse per se*, nihil potentialitatis involvit.

32. Objic. 2.^o Affectiones membraeque corporea, SS. Litterae Deo inesse testantur: non est ergo spiritus purus.

Resp. Dist. *ant.* In sensu figurato testantur; conc. Proprio sensu; nego. Scilicet, ut cogitemus spiritualia sensibilibus figuris indigemus, quia ope phantasmatum sensibilibus mens nostra, corpori sociata, ad conceptus insensibilibus debet pervenire.

Inst. Homo factus est in imaginem Dei: ergo Deus nequit purus esse spiritus, aliter enim nihil divinum corpus hominis referre posset.

Resp. Dist. *ant.* In imaginem Dei perfectam; nego. Similitudinariam: conc. Imagines similitudinariae potius significando, quam perfecte repraesentando, typum referunt: quo modo, propius secundum animam, minus autem etiam corpore est homo imago Dei; manus divinam significant actionem et providentiam, brachium vero Dei potentiam, oculi scientiam, cor divinam charitatem, etc.

Objic. 3.^o Nonnulli Patres corporeum Deum esse dixerunt: ergo saltem non est spiritus purus.

Resp. Explico nonnullorum PP. sententias. Quemadmodum *umbra*, *vacuum*, *inane*, ad nihilum significandum usus saepe adhibuit ita *corpus*, rebus illis contrarium, id quod realiter existit, veraque est substantia, non autem inane, fictum et nihil, vere et admodum proprie refert. «Omne quod est, corpus est *sui generis*, nihil est incorporale nisi quod non est» (1), ait Tertullianus. Tropice ergo,

(1) L. *De Car. Christi*, c. 11.

non proprietate vocis, nonnulli Patrum corpus Deo concesserunt, ut realem ejus significarent substantiam.

33. **Corollarium.** Cum Deus sit *suum esse* per essentiam, patet etiam subsistere, intelligere et vivere per essentiam: aliquem enim *actum*, seu, *essendi* rationem haec omnia indicant.

THESIS IX.

Deus est summe perfectus, seu continet omnes perfectiones, vel formaliter, vel eminenter.

34. **Nota.** Triplex perfectionum genus distinguitur; *mixtae*, quae non sine imperfectione existere possunt; *simplices*, quae simul nequeunt identice conjungi cum aliqua aequali perfectione; et *simpliciter simplices*, quas melius est habere, quam non habere, seu quae nequeunt per alias compensari.

Mixtas esse eminenter in Deo dicimus; *simplices* et *simpliciter simplices* formaliter.

35. Pars I. prob. 1.° Ex Vat. Conc. (1) «Sancta Ecclesia credit unum esse Deum... omni perfectione infinitum.»

2.° Deus de se Moysi dixit: (2) *Ostendam omne bonum tibi*. Et alibi (3): *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis*.

3.° Athanasius ait: «In Deo aliquid deesse, non solum dictum impium est, sed omne nefas superat» (4).

Damascenus etiam (5): «Universum id quod est, tamquam immensum et infinitum quoddam essentiae pelagus, complexu suo continet.»

Augustinus quoque ait (6): «Deum esse bonum omnis boni.»

36. 4.° Omnis perfectio est increata vel creata, actualis vel possibilis. Atqui utramque Deus habere debet: ergo inest Deo omnis totaque perfectio.

Confirm. Deus est *ipsum esse* per essentiam (ex Thes. VII:) ergo est in Deo omnis gradus essendi, seu omnis perfectio; «secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod est actu» (7), ait Doctor Ang.

37. **Objic.** 1.° Deus est *ipsum esse*: sed *esse* videtur id quod est imperfectissimum; id enim minimum quod potest res habere est *esse*. Ergo videtur Deus imperfectissimus.

Resp. dist. *min.* *Esse* quaecumque participatum est imperfectissimum: conc. *Esse subsistens*, seu in tota sua latitudine per se ac-

(1) C. *Dei Filius*, cap. I.—(2) Exod. XXXIII, 19.—(3) Ps. CXLIV, 3.—(4) *Orat. cont. gent.* n. 39.—(5) *L. 1 de Fide*, c. 12.—(6) *Enarratio in ps.* 26, n. 8.—(7) *Sum. theol.* I. p. q. 4, a. 1.

tuatum, est imperfectissimum; nego. In hoc sensu se Deus definit: «Qui est.» (1).

Objic. 2.° Aliquae perfectiones sunt invicem oppositae, ut corpus et spiritus: ergo nequeunt esse omnes in Deo.

Resp. Dist. *conseq.* Nequeunt esse eminenter; nego *consequentiam*: formaliter; subd. Si imperfectionem ferunt; conc. Si perfectiones fuerint simplices (de quibus in *Tract. de Trinit.*), iterum subd. Nequeunt esse invicem identificatae; conc. identificatae cum essentia; nego.

38. **Coroll.** Deus est simpliciter infinitus: hac enim voce solet etiam omnium perfectionum cumulus indicari.

Patet testimoniis adductis et iisdem argumentis. Finitum enim est, quod limitibus afficitur, seu cui aliquid deest ex latitudine essendi, aut actualitatis.

Objic. Si esset infinitus Deus, omnia amplecteretur: ergo non essent alia entia, nec malum aliquod et imperfectio.

Resp. Dist. *ant.* Si esset infinitus *quantitative*, permitto *antec.* Si infinitus est *intensive*, nego *antec.* Nam utique perfectionem omnium entium eminenter continet, non *numericè*: eo ipso quod infinitus est Deus, nequit esse numericè idem cum entibus finitis.

Dein negatur *conseq.* Nam solum deducitur, in ipso ente infinito non posse esse malum, aut imperfectionem, aut entitatem finitam; quod autem alia finita non sint et imperfecta entia, non sequitur; cum Deus non sit *forma*, sed causa tantum illorum efficiens.

THESIS X.

Deus est summe verus et bonus, seu ipsa veritas et bonitas.

39. **Nota** non agimus hic de veritate logica, quae ad scientiam Dei spectat; neque de veritate morali, seu, veracitate, quae pertinet ad sanctitatem; sed de transcendentali, de qua dicitur: «verum et ens convertuntur.»

Prob. 1.° Ex Vat. Conc. (2) «Hic solus verus Deus, bonitate sua...» Et in *Symb. Const.* «Deum verum de Deo vero.» Joannes quidem XXII illam Ekkardi damnavit proposit.: «Deus non est »bonus... Ita male dico, cum voco Deum bonum, ac si album vo- »carem nigrum.»

2.° *Te solum Deum verum*, ait Christus D. (3); *Nemo bonus, nisi solus Deus* (4).

3.° Ex *Metaphysica* noscimus, ens, verum et bonum transcen-

(1) Exod. III, 14.—(2) C. *Dei Filius*, cap. I.—(3) Jo. X, VII, 3.—(4) Luc. XVIII, 19.
THEOL.—Tom. II. 3

dentaliter converti, seu invicem praedicari: Sed Deus est *ipsum esse* per essentiam; ergo et ipsum *verum*, ipsum *bonum*, ipsa veritas et bonitas per essentiam.

THESIS XI.

Deus est summe unus, seu simplicissimus omnino.

40. **Nota:** *Unum* duplici modo dici; transcendentaliter, et relative. Primo modo *unum* convertitur cum ente et ideo cuilibet aliquatenus convenit; secundo autem modo dicitur solum de aliquibus entibus quatenus extra se referuntur, et consortium aliorum in ratione aliqua non habent, unde *unum*, in hoc sensu, est nota negativa, et dicitur etiam *unicum*. In thesi sermo est de unitate transcendentali, de altera enim unitate in Thes. VI. egimus.

Thesis est fide certa, et Prob. 1.º ex Later. IV. (1) «Una essentia simplex omnino.» «Credimus et confitemur, quod una quaedam summa res est... cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino... et sic eadem res est Pater et Filius, nec non Sp. Sanctus.» Et Vatic. Conc. confirmat (2).

41. 2.º Et Patres id docebant; uti Athanasius ait: «Deus individuus est... Deus natura simplex (3).»

Et Cyril. Alex. (4): «Nulla est duplicitas et compositio in natura divina, quae simplicitatem tamquam proprium bonum et summam perfectionem obtinet.»

S. Maximus M. apud Euthymium (5): «Sola simplex et uniformis, et nullius indigens, et immutabilis est creatrix universorum substantia. At omnis creatura composita est...»

42. 3.º *Unum* est quod est indivisum a se, et divisum a quolibet alio. Sed Deus est indivisus, imo prorsus *indivisibilis* a se, et divisus a quolibet alio; ergo unus simplexque omnino.

Min. patet. Deus est ens necessarium et actus purus per essentiam: sed ens necessarium et sine ulla potentialitate, nec dividi potest, neque in partem alterius entis venire.

43. 4.º a) Deus constare nequit partibus essentialibus. Si enim illarum quaelibet esset entitas necessaria, plura forent entia a se: quod repugnat (6). Si autem una tantum pars esset ens necessarium, caeterae non forent essentialia Deo uti fingebatur, vel posset Deus deficere.

b) Neque potest ex supposito et natura coalescere. Quia essentia entis necessarii est ipsum esse et actus purus;

(1) Cap. Firmiter, et c. Damnamus.—(2) C. Dei Filius, cap. I.—(3) De decret. Nicae. Syn. n. 11.—(4) L. 9, in Joan.—(5) Panopl. tit. 2, p. 1.—(6) Cap. I, Thes. VI.

sed subsistere est vera perfectio seu actuatio: ergo essentia Dei per se subsistit, non autem per compositionem cum alia entitate.

c) Nec est compositio ex esse et essentia, ut supra dictum est (1).

d) Nequit genere et differentia constitui. Cum enim esse Dei sit *ipsum esse* et actus purus, nihil potest dari quod esse Dei determinet ad modum differentiae.

e) Compositio accidentaliter Deo repugnat. Quia accidens debet inhaerere ac determinare subjectum suum ad aliquid: sed *ipsum esse* et *actus purus* amplius determinari non potest, seu actuari: ergo accidens Deo inesse nequit.

44. **Objic.** 1.º Deus simplicior existeret si una tantum foret Persona: ergo non est summe unus.

Resp. neg. *ant.* Si enim Personae comparentur cum essentia non est unio et compositio ulla, sed identitas: inter se autem sunt realiter distinctae, adeoque singulae sunt quid unum et simplex.

Objic. 2.º Deus est substantialiter unitus cum humanitate Christi: ergo non est divisus ab alio, neque summe unus.

Resp. *Dist. conseq.* Non est divisus, quasi alienam actionem participet; nego *consequentiam*. Quatenus pure terminando tribuit, seu complet humanitati subsistentiam; conc. Unio, nempe, hypostatica quemadmodum nullo modo actuatur, seu immutat, esse divinum, ita neque ejus summae unitati, seu simplicitati officit.

THESIS XII.

Deus est omnipotens.

45. **Nota.** Duplex est potentia; activa et passiva. Passiva potentia est ad aliquam actionem recipiendam aptitudo; activa, è contra, ad illam tribuendam. Passivam potentiam Deo prorsus adversari ex supra dictis liquet, cum sit actus purus per essentiam (2). De secunda igitur potentia sermo est, et dicimus, nihil esse possibile quod non possit à Deo ad esse reduci, seu nullam esse passivam potentiam quae actuari a Deo nequeat.

46. Thesis est de fide, et Prob. 1.º ex Symbolis: «Credo in Deum, Patrem omnipotentem.»

2.º Ait Dominus: *Pater, omnia tibi possible sunt. Apud Deum autem omnia possible sunt* (3):

3.º Patres, cum Conciliis, unanimes hoc Dei attributum praedicarunt. Augustinus ait: «Omnipotens est ad facienda majora

(1) Thes. VII.—(2) Thesis VII.—(3) Marc. XIV, 36; Matth. XIX, 26.

»et minora; omnipotens ad facienda coelestia et terrestria... magnus in magnis, nec parvus in minimis; postremo omnipotens ad »facienda omnia quae facere voluerit.»

Hieronymus confirmat (1): «Nec mirum si Christus dicatur »omnipotens... qui dicit: omnia, quae Patris sunt, mea sunt. Si autem omnia, id est, Deus ex Deo, Dominus ex Domino, lumen de »lumine; ergo et ex omnipotente omnipotens.»

47. 4.º Ab eo pendet omne possibile, a quo pendet cujuslibet possibilis actuatio, seu *esse*. Sed a Deo pendet cujuscumque possibilis *esse*: ergo omnia potest. Maj. patet: nam *possibile* nihil aliud quam posse *esse*, seu id, quod si supponatur *esse*, vere *est*.

Min. prob. Ens, seu *esse*, adaequate dividitur in *esse a se*, et *esse ab alio*. Sed solus Deus est *esse a se*, et quodlibet *esse ab alio* est pendens ab *esse a se*: ergo a Deo pendet, omne possibile.

48. Objic. 1.º Quodlibet Dei attributum debet esse infinitum; atqui Omnipotentia nequit esse infinita: ergo non potest esse omnipotens.

Resp. Dist. *min.* Non potest esse infinita *entitative*; nego: *terminative*; Subd. Quoad modum agendi; nego *min.* Quoad res factas; iterum subd. Infinita categorematice; conc. Nequit esse infinita syncategorematice; nego.

Nam modus agendi Dei in creandis possibilibus, quamdam infinitam innuit perfectionem: et etiamsi nequeat Deus ens simpliciter infinitum facere, potest plura et plura, majora et majora *sine fine* producere.

49. Objic. 2.º Deus nequit mentiri, peccare, quiescere a cogitatione et amore, etc., ergo non omnia potest.

Resp. nego suppositum, scil., ejusmodi esse possible, vel id esse *pure agere*. Ut enim observat Augustinus (2): «Dicitur »Deus omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult; »quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens. Unde propterea »quaedam non potest, quia omnipotens est.»

50. Objic. 3.º Deus nequit facere simul omnia possible: ergo limitata ejus est potentia.

Resp. Dist. *Ant.* Eo modo, quo repugnat esse *simul*, nequit Deus facere possible omnia; conc. aliter, nego. Potest Deus, ex gr. condere hominem in statu pure naturali, vel in statu supernaturali: non autem facere potest ut sit homo simul in utroque statu. Potest facere ut existat quidquid est possibile, et Ipse simul potest alia condere; non autem potest virtutem suam exhaurire, quia id repugnat.

(1) In Zachar. II, 6.—(2) De Civit. Dei, l. 5, c. 10.

Objic. 4.º Nequit Deus facere nisi quod est melius: ergo nequit meliora facere quam haec finita, quae fecit.

Resp. Dist. *Ant.* Nisi quod est melius *objective*; nego: nequit facere nisi quod est melius *subjective*, seu quoad agendi perfectionem et modum; concedo *antecedens*: nam licet Deus finita entia et imperfecta (*absolute*, non autem *relative*) producat, perfectissime agit, ut supra notat Augustinus.

51. Objic. 5.º Si potentia Deo inesset, ageret necessario quidquid potest. Sed in hoc magna est dependentia et imperfectio: ergo potentiam Deus non habet.

Maj. prob. Agere est actus secundus, seu ultima determinatio potentiae, seu formalis emanatio effectus a causa. Atqui, si inest Deo potentia, necessario est in actu secundo, seu ultimo determinata, seu habens ultimam formam ad effundendum et producendum effectum. Ergo si potentia Deo inest, agit necessario.

Min. prob. Potentia Dei, quemadmodum quodlibet ejus attributum, nequit in ulla versari indeterminatione seu potentialitate: ergo si inest Deo potentia, est in actu secundo.

Resp. Nego *maj.* Ad probationem autem dist. *maj.* Agere est actus secundus, seu ultima determinatio, se habens ex parte effectus, seu informans effectum; conc. *maj.* Informans ipsam potentiam; nego *maj.* Et dist. *min.* Necessario est in actu secundo, seu ultimo determinata., quoad omnia ipsam spectantia potentiam, seu intrinsecus; conc. *min.* Ex parte effectus, seu, extrinsecus, nego *min.* et *consequentiam*.

52. Etenim actio non respicit potentiam nisi *ut principium a quo*, ideoque non se habet ut forma et actus ipsius: actio quidem est formalis emanatio effectus *a potentia*; et propterea in effectu ipso, non vero in suo principio, est recipienda.

Hoc modo discernit D. Angelicus actiones vitales, seu immanentes, a non vitalibus. «Manifestum est quod potentia dicitur »in Deo per respectum ad facta, secundum rei veritatem, non per »respectum ad actionem... Unde si aliquae actiones Deo conveniunt, »quae non in aliquod factum transeant, *sed maneat* in agente, respectu harum non dicitur in Deo potentia, nisi secundum modum »intelligendi, non secundum rei veritatem; hujusmodi autem actiones sunt intelligere et velle. Potentia igitur Dei, proprie loquendo, non respicit hujusmodi actiones, sed solos effectus.» *Contr. Gentes*, l. 2. sub cap. 10 (ex codice autogr. Edit. Uccelli).

Item in Summa (P. 1, q. 25, a. 1. ad 1): «Potentia activa non dividitur contra actum, sed fundatur in eo; nam unumquodque agit »secundum quod est in actu: potentia vero passiva dividitur contra »actum; nam unumquodque patitur secundum quod est in potentia.»

Confer etiam (ibid.) *Contr. Gent.* l. 1, c. 45; nam eandem ibi tradit actionis immanentis et transeuntis differentiam: «Intelligere est »actus intelligentis *in ipso existens*, non in aliquid extrinsecum »transiens, sicut calefactio transit in calefactum...» Haec perpendant veri sancti Thomae discipuli.

53. **Corollarium** 1.^m Potentia Dei est infinita. Nullum enim est ens possibile. ad quod non se porrigere valeat; nullumque, quod ab infinitudine divini esse non infinite superetur. Hinc ait Hilarius (1): «Deus est immensae virtutis vivens potestas.» Et Damascenus (2): «Credimus in unum Deum... immensa »vi praeditum... potentiam nulla mensura comprehensam et intellectam, verum ejusmodi ut eam sola sua voluntas metiatur... »essentias omnes penetrantem, omnibus rebus ulteriorem, atque »ab omni essentia, ut quae essentia omni sublimior sit, exemptam.»

54. **Corollar.** 2.^m Plura et majora iis, quae fecit, potest Deus absolute facere.

Nam quaecumque fecit Deus finita sunt numero et perfectione. Hinc damnata ab Innocentio II et Conc. Senon. illa Abaelardi propositio: «Quod ea solummodo possit Deus facere, vel eo »modo tantum, vel eo tempore, quo facit, et non alio.»

Paulus (3) ait: *Potens est omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus.*

Vide Augustinum, supra in Thesi; et Tertullianum, (1. *adv. Praxeam*, c. 10): et Athanasium, (Orat. 2, *contra Arian.*).

THESIS XIII.

Deus est summe justus, sanctus et misericors.

55. **Nota.** Justitiam intelligimus voluntatis ad omnem honestatem, praesertim ad cuique suum reddendum, habitudinem. Sanctum dicitur quod ad divinae majestatis honorem et gloriam est dedicatum. Misericordia est voluntatis apta dispositio ad subveniendum alienae miseriae.

I. Pars, quae, cum tota Thesi, est fide certa, probatur. 1.^o Ait Propheta (4): *Justus Dominus et justitias dilexit; aequitatem vidit vultus ejus.* Et Apostolus (5): *Proprio Filio suo non percipit Deus.* Et iterum (6): *Reddet mihi Dominus in illa die justus*

(1) *De Trinit.* l. 8, n. 24. — (2) *De fide*, l. 1, cap. 8. — (3) Eph., III, 20. — (4) Ps. X, 8. — (5) Rom., VIII, 32. — (6) II Tim. IV, 8.

judex. Daniel autem (1): *Justus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis.*

2.^o Trident. Conc. ait (2): «Sine magnis nostris fletibus et »laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus» ad integram peccatorum remissionem.

56. Unanimis est Patrum in hac re consensus: ex. gr. Athanasius (3): «Quia ergo natura justus est et sanctus, idcirco »justitiam diligere et iniquitatem odio habere dicitur; quod perinde est ac si dicas, eum homines virtute praeditos amare et admittere, injustos vero repellere et odisse.» Hieronymus (4): «Si enim Dominus justitia est, veritas, sanctitas, ceteraque virtutes, quisquis injuste fecit, et mentitus est, et scorta, vitiaque »sectatus est, Domino peccavit.»

57. II. Pars prob. 1.^o *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum* (5), ait ipse Deus. Apud Isaiam autem canunt (6) Seraphim: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.*

2.^o PP. Toletani Conc. XI ajunt: «Confitemur et credimus sanctam atque ineffabilem Trinitatem. Patrem, Filium et »Spiritus Sanctum, unum Deum.» Pariter Conc. Later. sub Martino I ait: «Sanctae et consubstantialis et venerandae Trinitatis Deum Verbum.» Can. II.

Athanasius autem Deum natura sanctum esse testatur (hic supra). De illo autem Seraphim sacro eloquio ait (7): «Patrem et »Filius et Spiritus S. glorificant.» Et eodem modo commentatur Hieronymus. Ambrosius pariter (8): «Ergo sanctus Pater, »sanctus Filius, sanctus et Spiritus... Una est vera sanctitas, sicut »una est vera divinitas; una illa vera sanctitas naturalis.»

58. 3.^o Nequit Deus quidquam velle aut agere, quod ad sui ipsius bonitatem et gloriam non dirigatur: ergo est necessario Sanctus. *Ant.* probatur. Isaias (9) dicitur: *Ego Dominus... gloriam meam alteri non dabo.*

Confir. 1.^o Nihil potest Deus velle aut agere quod non sit intrinsecus participatio et testificatio divinae bonitatis et gloriae. Atqui quod est participatio et testificatio divinae bonitatis et gloriae, ad Dei bonitatem et gloriam ordinatur: ergo quidquid Deus vult et agit, ad Ipsius ordinatur gloriam.

Confir. 2.^o Deus est in omni perfectione infinite perfectus. Sed si quidquam vellet aut ageret, quod non tenderet ad ejus bonitatem et gloriam, non esset infinite perfectus: ergo omnia ordinat Deus ad suam gloriam et bonitatem.

(1) Dan. IX, 14. — (2) Sess. 14, c. 2. — (3) Orat. I *contr. Arian.* n. 52. — (4) In Habac. c. III, v. 17. — (5) I Petr. I, 6. — (6) C. VI, v. 3. — (7) *De Incar. contr. Arian.*, 10. — (8) De Sp. S., l. 3, c. 16. — (9) C. XLII, 8.

59. III. Pars prob. Ait Jonas propheta (1): *Patiens et multae miserationis et ignoscens*, Deus, scilicet. Et David (2): *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus*. Apostolus autem (loc. cit.): *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

2.º A Trident. Conc. (3) Deus dicitur: «Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.» Hieronymus ait (4): «Deus natura misericors est, et paratus ut salvet clementia, quos non potest salvare justitia: nos autem vitio nostro paratam misericordiam et ultro se offerentem perdimus et relinquimus.»

3.º Tota Thesis ratione confirmatur. Justitia, sanctitas et misericordia sunt perfectiones simplices. Atqui in Deo omnes existunt formaliter perfectiones ejusmodi: ergo Deus justus est, sanctus et misericors. *Min.* supra (Thes. IX) patet.

60. Objic. 1.º Justitia et misericordia oppositae videntur: ergo simul Deo convenire nequeunt. *Ant.* prob. Justitia poenas delictis imponi jubet; misericordia autem condonari: ergo inter se opponuntur.

Resp. Neg. *ant.* Ad probationem autem dist. *ant.* Imponi jubet poenas donec non fiat remissio; conc. Aliter, nego.

Inst. 1.º Ipsa justitia postulat non remitti culpas, sed puniri: è contra misericordia: ergo absolute adversantur.

Resp. Dist. *ant.* Postulat non remitti dum non cedit è jure suo Deus offensus; conc. Aliter; nego.

Inst. 2.º Si Deus offensus cedit è jure suo, non splendet justitia. Sed Dei gloria exigit ut justitia effulgeat: ergo ne remittat Deus postulat gloria divinae justitiae.

Resp. 1.º Dist. *min.* Exigit Dei gloria, *id est*, consonum est Dei gloriae; ut justitia effulgeat; conc. Existit aliqua necessitas apud Deum; nego.

Resp. 2.º Exigit ut effulgeat justitia in omnibus offensis; nego *min.* In aliquibus; transeat. Hac oeconomia possunt simul emicare divina justitia et misericordia, juxta *Apostolum* (5).

Resp. 3.º Dist. *maj.* Si cedat Deus offensus è jure suo tum erga omnes offensores, tum erga Mediatorem, non splendet justitia; conc. *maj.* Si tantum cedat erga illos; nego.

Mira igitur Dei sapientia factum est, ut tum justitia, tum misericordia clarissime effulgerent: *Proprio enim Filio suo non pepercit...* ut supra diximus.

(1) C. IV, 2.—(2) Ps. CXLIV, 9.—(3) Sess. VI, c. 2.—(4) In Jonam, c. II, v. 9.—(5) Rom. IX, 22, 23.

61. Objic. 2.º Sanctum idem est ac Deo consecratum; quod concipi non potest sine aliqua distinctione inter Deum et illud quod eidem consecratur, et absque aliqua potestate consecrantis et ejus cui consecratur, in rem consecratam: sed haec Deo repugnant; ergo sanctus dici non potest.

Resp. Dist. *maj.* Sanctum *adjective*; conc. *substantive* sanctum concipi non potest sine aliqua distinctione et potestate, etc., nego *maj.*

Deus, potius *sanctitas*, quam sanctus; *miserecordia*, quam misericors, dicendus, uti notat Philippus, Hieronymi discipulus insignis (1): «Non solum misericors (Deus), sed et misericordia dicitur: quia misericors a misericordia, et ideo quasi prototypum nomen, majus est, quam deductio nuncupata. Quicumque ergo sanctorum potest dici misericors, verax, justus: nemo tamen eorum dicitur misericordia, et veritas, et justitia.» Sic Hieronymus supra, in probatione primae partis Theseos.

ARTICULUS II.

Dei perfectiones negative explicatae

THESIS XIV.

62. Deus est immutabilis, aeternus et immensus. Propositio est de fide quoad singulas partes.

Pars I. prob. 1.º Ex Vat. Conc. (2). «Cum sit simplex omnino et incommutabilis.» Et Lateran. Conc. sub Martino I. «Si quis non confitetur... unum Deum, unam Deitatem inconditam, immutabilem... condemnatus sit.»

2.º *Ego Dominus et non mutator*, (3) *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obrumbratio* (4). Unde sacrae Litterae aperte testantur.

3.º S. Ambrosius (5) refert hanc Conc. Nicaen. definitionem: «Eos, qui dicunt: erat quando non erat; aut mutabilem Filium Dei; anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia.» Et ibidem (6) subjicit: «Arius dicit mutabilem Dei Filium: quomodo ergo Deus, si mutabilis? Cum ipse dixerit: *Ego sum et non sum mutatus.*»

4.º Res omnino simplex mutari nequit quin totaliter mutetur, seu desinat esse; sed Deus est simplicissimus et existit necessario; ergo est immutabilis. *Min.* supra (Thes. XI), ostensa fuit.

(1) In Job. c. XXIV, 20. Inter opera Hieronymi.—(2) C. *Dei Filius*, cap. I.—(3) Malach. III, 6.—(4) Jac. I, 17.—(5) L. I, *de Fide*, c. 18, n. 120.—(6) L. 19, n. 131.